



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

CLVIII. Differentia 29. Iure Canonico non est necesse in libello exprimere
nomen actionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

DIFFERENTIA 29.

Iure Canonico non est necesse in libello exprimere nomen actionis: c. *Dilecti. De iudic. Secus Iure civili. l. 1. ff. De edendo l. car. Ita. C. cod. Bart. 24. Gulvan. 6. § 97. Canibus 10.*

Libellus continet statum causæ, & intentionem actoris, cui accommodata probationes: eo fine necessarius ne actor variet, & à proposito suo declinet. An autem actionis nomen exprimendum sit, ambigitur? Vlpiani decisio est, in *l. cit. ff. De eden.* Qua quisque actione agere volet, eam edere debet, ut nimirum sciat reus utrum cedere an contendere ultrò debeat: & si contendendum putat, veniat instructus ad agendum, cognita actione, quæ conveniatur, *Ita ille.* Petrus de ferrarijs in Practica sua explicatius, cum proposuisset questionem prædictam, an proprium nomen actionis in libello exprimendum sit, cum distinctione respondet. Si causa, quæ proponitur apta est unam solam actionem producere, sufficit illam exprimere, & nomen actionis tacere. v. gr. Titio commodavi talem librum, quem peto condemnari ad restitutionem, nec opus est dicere. Ago actione commodati. Si autem causa apta est plures actiones producere, ut patet in exemplo de colono, qui arbores succidit. *h. duobus. §. Co-*

lonus ff. De iureiur. Quo casu dantur tres actiones. videlicet ex locato, legis *Aquiliana, & ex l. 16. tabul.* & exprimi debet nomen actionis quam intentare volueris, ut reus cognoscat institutæ lius qualitatem, sequæ ad pugnam armis muniat.

II. Alium modum Canones approbant. *Alexand. III. in cit. c. Dilecti.* Provideatis, *inquit,* ne ita subtiliter, ut à multis fieri solet, huiusmodi actio intenteur, inquiretis. Sed simpliciter, & purè factum ipsum, & rei veritatem secundum formam Canonum, & sanctorum Patrum instituta investigare curetis. *vbi Gloss.* notat non teneri quem, posse tamen nomen actionis exprimere in iudicio Ecclesiastico. Interdum tamen necessariò videtur exprimenda, puta, cum ex una causa plures actiones oriuntur. Nam aliter fit condemnatio in una, aliter in alia: sed causa petendi semper exprimenda est. *c. fin. De libel. obl. c. pervenit. De cens.*

* *

* *

* *